

minime reiiciendam esse ut *certo falsam*. Licet enim rationes omnes, quae prudentem assensum suadent, sint in eius favorem, nulla tamen earum, quantumvis gravis, habet infallibilem connexionem cum veritate, et consequenter fieri potest ut talis opinio sit falsa, eiusque opposita vera. Quare nequit dici *certa* stricte loquendo. Sic tamen plerumque appellatur, quia in moralibus, ut plurimum, est plane sufficiens ad habendum *certum iudicium prudentiae*, ut suo loco diximus (234. Obiec. IV.). Propter hanc rationem dicitur etiam *moraliter* certa, sensu plane diverso a certitudine morali stricte tali, quae cum metaphysica et physica inter species vere et proprie dictae certitudinis adnumeratur.

## SECTIO VII.

### *De ignorantia et errore.*

244. **Continuatio ad praecedentia.** — Ut supra monuimus [218], tum ignorantia tum error assecutioni veritatis opponuntur, ignorantia quidem *privative*, error autem *contrarie*. De utraque hac dispositione mentis hic disserendum, tum quia oppositorum eadem est scientia, tum quia notitia unius oppositi multum iuvatur ex notitia alterius. In praesenti sectione utriusque notionem evolvemus, in sequenti vero praecipuas causas ignorantiae atque errorum humanae mentis brevis enumerabimus.

245. **Quid ignorantia.** — Ignorantia, generatim inspecta, est *carentia scientiae in subiecto capaci*. Hinc eius subiectum non est nisi intellectus: unde eam non attribuimus neque rebus inanimis, neque ipsis facultatibus cognoscitivis ordinis sensitivi; non enim capaces sunt cognoscendae veritatis. Cum autem nulla veritas continueatur extra obiectum *adequatum* intellectus, prout in Metaphysica docetur, hinc ignorantia quaelibet non simplicem carentiam,

sed aliquam semper privationem continet. Specialiori tamen titulo, ratio privationis non cuilibet ignorantiae convenit, sed ei solummodo, qua aliquis caret scientia *quam natus est habere*. Quocirca S. Thomas distinguere solet inter ignorantiam *negationis*, quam etiam simplicem *nescientiam* vocat, et ignorantiam proprie dictam seu *privationis*. \* Dicendum, aut, quod ignorantia in hoc a nescientia differt, quod nescientia dicit simplicem scientiae negationem; unde cuiuscumque deest aliquarum rerum scientia, potest dici nescire illas: secundum quem modum Dionysius in Angelis nescientiam ponit, 7. Coelest. Hier. Ignorantia vero importat scientiae privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum quae aptus natus est scire. (Summa th. 2. 2<sup>o</sup> q. 76. a. 2.)

246. **Divisio ignorantiae.** — Ignorantia dupliciter dividitur. Primo in *totalem* et *partialem*, prout mens vel omnium, vel quarundam solummodo rerum notitia orbatur. Illa elucet in pueris antequam ad usum rationis perveniant; altera vero plus minusve communis est omnibus hominibus quamdiu hanc mortalem vitam vivimus. Secundo et praecipue dividitur in ignorantiam *simpliciter talem*, et ignorantiam *pravae dispositionis*. Haec divisio habetur attento duplici quasi gradu, quo mens, quae ignorat, a cognitione veritatis discedit. Primus modus ignorantiae est simplex ignorantia *privationis*, quam supra descripsimus: unde solam scientiae privationem dicit sine ullo habitu vel actu, qui sit scientiae contrarius. Ignorantia vero *pravae dispositionis*, praeter dictam privationem, superaddit aliquid scientiae contrarium, puta cum quis adhaeret falsis principiis et opinionibus, quibus impeditur a scientia veritatis. Cf. S. Thomam. (2. De Anima, lect. 11.)

247. **Error, falsitas.** — Nomen *erroris*, secundum quod intellectui tribuitur, significat positivum actum, quo mens a tramite veritatis deflectit, ac nihil aliud est nisi *approbare falsa pro veris*. Spectat proinde ad ignorantiam pravae dispositionis, quam nuper explicavimus. Quid autem sit *falsum* seu *falsitas*, quae obiectum erroris constituit, intelligitur per oppositionem ad veritatem cognitionis,



quam ante [207] exposuimus. Sic porro definitur: *Positiva difformitas mentis cognoscentis a suo obiecto*. Ut hanc descriptionem probe intelligas, adverte duplicem adesse posse difformitatem cognitionem inter, qua talem, eiusque obiectum, nimirum *negativam*, et *positivam*. Prior habetur, si cognitio non omnia referat quae obiecto insunt, sed in eo, quod refert, ei consentit. Haec difformitas est quidem imperfectio aliqua in cognoscendo, sed veritati minime potest ei attribui. Requiritur proinde altera difformitas, *positiva* nempe, quae in eo consistit, quod mens dicat esse quod non est, vel dicat non esse quod est [124]. Hinc illud Augustini: *Quisquis ullam rem aliter, quam ea res est, intelligit, fallitur*. (Lib. 83. *Quaest.* q. 32.) Quam sententiam ita perspicue declarat Angelicus, "Cum dicitur, quod intellectus est falsus, qui intelligit rem aliter, quam sit, verum est, si ly *aliter* referatur ad rem intellectam: tunc enim intellectus est falsus, quando intelligit rem esse aliter quam sit..... Non est autem verum, quod proponitur, si ly *aliter* accipiat ex parte intelligentis: est enim absque falsitate ut alius sit modus intelligentis in intelligendo, quam modus rei in essendo." (*Summa th.* 1. p. q. 85. a. 1. ad 1.)

248. *Corollaria*. — Ex dictis duo intelliguntur.

I. Error mentis differt quidem ab ignorantia, ut patet ex utriusque definitione, aliqua tamen ignorantia in omni errore admisceatur. Hinc Augustinus l. c. post relata verba, haec subdit. "Et omnis, qui fallitur, id, in quo fallitur, non intelligit. Quisquis igitur ullam rem aliter, quam est, intelligit, non eam intelligit." Quae propositiones verae sunt, sed non convertuntur. Omnis enim error ignorantiam quidem includit, sed non omnis ignorantia est error; et ita omnis falsitas includit carentiam alicuius intelligentiae, quamvis carentia intelligentiae ad falsitatem non sufficiat. Cf. Suarez. (*Metaph.* D. 9. sect. 1. n. 20.)

II. Error mentis duobus modis contingere potest. Uno modo, si quis opinioni alicui adhaeret ductus probabili aliquo motivo: alio modo, si quis opinioni adhaereat absque

sufficienti motivo ex parte obiecti, sed ex praesumptione quadam ac levitate animi. Si primum contigerit, tunc error prudens esse potest, modo quis non tenacius adhaereat in rebus huiusmodi quam motiva mererent. Sin vero temere quis ad sic iudicandum procedat, error erit imprudens, praesertim si ei mordicus adhaereat, vel periculum aliquod gravis damni timeatur, quod cavere debet. In primo casu, si quis bene rem consideret, mens non dicitur formaliter deviare a tramite veritatis: contra vero accidit in altero casu, et de hoc verificatur quod ait S. Thomas. "Quia peccatum in actu consistit, error manifeste habet rationem peccati. Non enim est absque praesumptione, quod aliquis de ignoratis sententiam ferat, et maxime in quibus periculum existit." (Qq. Disp. *De Malo*, q. 3. a. 7.)

#### THESIS VI.

*Falsitas cognitionis, seu deceptio, soli iudicio subesse potest, simplici vero apprehensioni non nisi analogice, et in ordine ad iudicium.*

249. *Probatur I. pars*. — Quod iudicio falsitas vera inesse queat, res est manifesta. Quocirca solummodo probare oportet, nullum alium mentis actum, praeter iudicium, subiectum falsitatis proprie esse posse. Id vero sic ostenditur. Falsitas cognitionis posita est in eo mentis actu, quo intelligimus rem esse aliter, quam reipsa sit, sive, quod in idem recidit, quando dicimus esse quod non est, vel non esse quod est. Atqui hoc minime habetur in simplici mentis apprehensione, neque ullus alius actus assignari potest, praeter iudicium, qui ad simplicem apprehensionem non revocetur. Ergo nullus actus mentis, praeter iudicium, potest esse proprie subiectum falsitatis seu deceptionis.

Confirmatur seu explicatur ratio adducta. Per simplicem mentis apprehensionem cognitio non habetur relata



ad rem, prout in se est; id enim est proprium iudicii. Ergo simpliciter apprehensio secundum se refertur dumtaxat ad rem prout repraesentatur. Atqui evidens est ex terminis, cognitionem sic inspectam non posse dissentire ab obiecto: hoc enim perinde esset ac repraesentare quod non repraesentat, quod repugnat in terminis (1).

Dices. Non videtur, qua ratione possint tamquam verae intellectuales imagines haberi conceptiones multae plane factitiae, puta *montis aurei*, vel *circuli quadrati*.

Respondeo, in huiusmodi conceptionibus distinguere oportere simplicem apprehensionem, secundum se inspectam, a iudicio, quod huic apprehensioni quandoque admiscetur, ut si quis fictiones proprie dicta falsitas in eo inveniat, nihil vetat, quominus proprie dicta falsitas in eo inveniat, sicut et in ceteris iudiciis. Quod si fiat praecisio a tali affirmatione, et solummodo consideretur simplex mentis apprehensio, qua praedictae fictiones concipiuntur, tunc talis apprehensio vel refertur ad elementa quorum compositio fingitur, vel ad hanc ipsam compositionem quae fingitur. Si primo modo res consideretur, patet nullam haberi falsitatem in tali apprehensione. Ap-

(1) Ad rem Suarez. "In hoc modo representandi (h. e. simpliciter apprehendendo) non attribuitur una res alteri, neque unus conceptus obiectivus alteri, sed simpliciter res aliqua repraesentatur: ergo vel repraesentatur sicut est, vel non est illa quae repraesentatur, et consequenter repugnat esse obiectum et non repraesentari sicut est. Sicut imago sensibilis simpliciter repraesentans personam aliquam, oportet ut repraesentet illam sicut est: vel si in aliquo non repraesentet illam, sicut est, in illo non est imago eius, et ideo non potest dici falsa imago, proprio loquendo, sed imperfecta, aut diminuta, vel non imago. Unde, quando appellamus aliquam falsam imaginem, falsitas revera existit in attributione vel compositione nostra: quia scilicet attribuimus imaginem ei quem non repraesentat, existimantes esse imaginem eius; et ita illa falsitas solum est obiective in intellectu seu denominative ab actu intellectus. Eodem ergo modo censendum est de simplicibus conceptibus, seu actibus cognoscendi, quia ita se habent sicut simplices imagines." (*Metaph.* D. 9. sect. 1. n. 15.)

prehensio enim sive montis sive auri sive circuli sive quadrati sunt verae imagines intellectuales huiusmodi obiecta repraesentantes. Sin vero posteriori modo conceptio mentis inspicatur, etiam sic a qualibet falsitate immunis dici debet. Tunc enim tales compositiones non apprehenduntur, ut vera res, sed solummodo apprehenditur quid consurgeret si haec vel illae partes coniungerentur, vel apprehenditur potius significatio vocis quam res aliqua. Sic qui concipit *montem aureum*, simpliciter apprehendit quid haberetur, si ratio montis et ratio auri coniungerentur. Similiter cum apprehendimus *circulum quadratum*, et alia huiusmodi, dumtaxat concipimus significationem termini complexi, quo talia absurda exprimuntur.

250. *Probatur II. pars.* — Quemadmodum supra declaravimus [211], simplex mentis apprehensio dupliciter considerari potest, videlicet ut *res quaedam*, et prout *iudicium imitatur*. Primo modo consideratur solummodo ut simplex apprehensio, et sic nullam falsitatem continere potest, ut patet ex superiori discursu. Hinc l. c. diximus, veritatem, quae simplici apprehensioni inest, prout est res quaedam, ei *essentialiter* convenire. Quod si consideretur in ordine ad iudicium, quod imitatur, tunc eadem ratione qua particeps est veritatis, quae est propria iudicii, ita et falsitatis ipsius particeps esse potest. Et hoc praesertim contingit, quoties apprehensiones huiusmodi vel sunt occasio iudicii quod fertur, vel sunt effectus iudicii praeteriti habitualiter adhuc in mente perseverantis. Hinc, communi loquendi more, falsitatis nomen non modo iudiciis, sed ideis etiam saepe attribuimus. Sic apprehensionem falsam nominamus, qua sol concipitur per modum circuli diametri bipedalis, vel licentia sub specie libertatis.

251. *Coroll. I. — Veritas conceptuum incomplexorum.* — Quoniam falsitas non potest attribui conceptibus simplicibus, nisi quatenus aliquo modo imitantur falsam iudicii compositionem, hinc nulla omnino falsitas, ne per accidens quidem, inesse potest conceptibus *primis* et *incomplexis*, ut sunt conceptio *entis*, *unius*, aliorumque generis eiusdem. Non enim in his plura componuntur, sed



eorundem ratio est omnino simplex. Apposite S. Thomas, " Per accidens contingit intellectum decipi circa *quod quid est* in rebus compositis; non ex parte organi, quia intellectus non est virtus utens organo; sed ex parte compositionis intervenientis circa definitionem, dum vel definitio unius rei est falsa de alia, sicut definitio circuli de triangulo; vel dum aliqua definitio est in se falsa, implicans compositionem impossibilibus, ut sic accipiatur hoc ut definitio alicuius rei, *animal rationale alatum*. Unde in rebus simplicibus, in quarum definitionibus compositio intervenire non potest, non possumus decipi, sed deficimus in totaliter non attingendo, sicut dicitur in IX Metaph. (Summa th. 1. p. q. 85. a. 6.) Hoc corollarium est summi momenti. Ut enim patebit ex iis, quae in disputatione sequenti disseremus, ex veritate, quae inest primis conceptionibus mentis nostrae, dimanat omnis naturalis evidentia et certitudo quam habere possumus.

252. *Coroll. II.* — **Falsitas inest iudicio, ut cognita in cognoscente.** — Quemadmodum veritas, ita et falsitas non habetur in iudicio tanquam in re falsa, sed ut cognita in cognoscente. Est tamen discrimen inter utrumque. Cum enim intellectus per se sit ordinatus ad veritatem, haec non eget aliena specie, ut ei affulgeat. Contra, falsitas nequit intellectum movere nisi sub ementia specie veritatis: unde intellectus non errat nisi per hoc quod putat esse verum quod est falsum. Cf. quae supra diximus [210].

253. *Coroll. III.* — **Falsitas sermonis.** — Sicut duplicem veritatem sermonis supra distinximus [206], ita duplex distingui debet sermonis falsitas, *logica* videlicet et *moralis*. Prima habetur secundum quod significat iudicium falsum, et sic dividitur propositio in *verum* et *falsum* [124]. Altera vero consistit in eo, quod quis dicit, se habere in mente, quod in mente non habet. Huiusmodi locutio contra mentem dicitur *mendacium*, de quo in Philosophia morali. Hinc eadem propositio potest esse logice vera ac moraliter falsa, et vicissim, ut obvia exempla cuique declarant.

254. *Coroll. IV.* — **Quo pacto veritas et falsitas sunt in sensibus.** — Cum sensus proprie non iudicent, veritas et falsitas eis non attribuitur nisi eo modo, quo in simplici mentis apprehensione invenitur. Speciatim vero sic dicitur, quia in modo quo apprehendunt imitationem quandam iudicii exhibent, et sic suo modo iudicare dicuntur. Corporeas enim qualitates non abstracte percipiunt, sed in concrecione cum suis subiectis: unde pro termino cognitionis habent ipsum corpus, prout sensibus qualitatibus afficitur. Sic visus non percipit *colorem*, sed *coloratum*, et ita quamvis proprie non iudicet, tamen exercitio ipso proprii actus colorem in pariete esse testatur, quod umbram quandam iudicii continet. Hic vero notandum, quod cum cognitio sensitiva in homine media sit inter obiectum sensatione perceptum et intellectum, hinc relata ad obiectum vocatur *vera* vel *falsa*, relata autem ad intellectum dicitur potius *verax* vel *fallax* (1).

## SECTIO VIII.

### *De causis ignorantiae et erroris.*

255. **Breviter enumerantur.** — Cum cognitio quaelibet enascatur ex obiecto simul et cognoscente, ex utroque

(1) Ad rem S. Thomas. "Cognitio nostra, ait, quae in rebus inanimatis sumit, hoc ordine progreditur: ut primo incipiat in sensu, deinde perficiatur in intellectu; et sic sensus invenitur quodammodo medius inter intellectum et res. Est enim rebus comparatus quasi intellectus, et intellectui comparatus quasi res quaedam. Et ideo in sensu dicitur esse veritas vel falsitas dupliciter. Uno modo secundum ordinem sensus ad intellectum; et sic dicitur sensus esse falsus vel verus, sicut res, in quantum videlicet facit veram existimationem in intellectu vel falsam. Alio modo secundum ordinem sensus ad res; et sic dicitur esse veritas vel falsitas in sensu, sicut et in intellectu, in quantum iudicat scilicet esse quod est, vel non esse quod non est." (Qr. Disp. *Verit.*, q. 1. a. 11.)



capite ipse cognitionis defectus, qui ignorantia et errore continetur, haberi potest. Praecipua tamen causa est ex parte cognoscentis. Ut enim animadvertit Angelicus: " Si difficultas (inveniendae veritatis) esset principaliter ex parte rerum, sequeretur, quod illa magis cognosceremus, quae sunt magis cognoscibilia secundum suam naturam. Sunt autem maxime cognoscibilia secundum suam naturam, quae sunt maxime in actu, scilicet entia immaterialia et immobilia, quae tamen sunt maxime nobis ignota. Unde manifestum est, quod difficultas accidit in cognitione veritatis maxime propter defectum intellectus nostri. " (2. *Metaph.* lect. 1.) Uterius vero considerare oportet, cognitionem humanam multiplici ratione dependere ex cognoscente. Quocirca multae et diversae causae ignorantiae ex hac parte habentur. Aliae quippe sunt *extrinsecae*, aliae vero subiecto cognoscenti *intrinsecae*. Illae revocantur ad extrinseci testimonii magisterium. Quae autem subiectum ipsum cognoscens intrinsecus afficiunt, vel se tenent ex parte ipsius virtutis cognoscitivae, vel ex parte appetitus. Atqui cognoscitiva virtus in nobis habetur primo quidem in intellectu, dein vero in sensibus et imaginatione, quae intellectui materiam cognitionis suppeditant; humanus vero appetitus alius est intellectualis, qui dicitur voluntas, sensitivus alius, qui per diversas animi passiones cietur. Quocirca ex omnibus his fontibus ignorantia et errores, quibus humanum genus deturpatur, enascentur. Licet vero totius Logicae disciplina huc spectet, ut huic malo remedium afferatur, non abs re erit in praesenti summam indicare, qua ratione ex praedictis fontibus ignorantia et error exoriantur, quo nempe facilis vitari possint. Omitimus vero quae ex sola corporis infirmitate habentur, quaeque non a logico sed a medico curari debent.

256. **Qua ratione obiectum ignorantiae occasio esse queat.** — Supposito aliquo defectu virtutis intellectivae ex parte cognoscentis, dupliciter obiectum causa vel potius occasio ignorantiae evadere potest. Primo quidem propter ipsius obiecti imperfectionem, quia videlicet parum habet entitatis. " Cum enim, ait S. Thomas, unumquodque

sit cognoscibile, in quantum est ens actu..., illa quae habent esse deficiens et imperfectum, sunt secundum seipsa parum cognoscibilia, ut materia, motus, et tempus propter esse eorum imperfectum, ut Boëtius dicit in libro *De duabus naturis*. " (2. *Metaph.* lect. 1.) Secundo vero potest e converso ignorantia haberi propter excessum perfectionis, quae est in obiecto, et propter hoc dixit Aristoteles in libro citato *Metaphysica*: *Quemadmodum respertitionum oculi ad lumen diei se habent, ita et intellectus animae nostrae ad ea, quae manifestissima omnium sunt.* Res enim immateriales secundum se sunt multo intelligibiliores quam res materiales, ob improprietatem tamen, quam ratione suae perfectionis habent cum nostro intellectu, vel nullam vel debilem sui cognitionem in nobis causant. Confer Suarez (*Metaphysica*, Disput. 9. sect. 3. n. 11. seqq.).

257. **Quo pacto ignorantia et error causam habent in ipsa mente.** — Humanus intellectus, utpote distinctus a divino intellectu, est essentialiter finitus. Ex hac autem limitatione necessario consequens est, ut a perfecta comprehensione totius veri deficiat. Hic porro defectus ignorantiam quidem aliquam, negativam saltem [245], constituit, sed non errorem. Hic ut habeatur, praeter dictam limitationem, necessario requiritur, ut mens in cognoscendo a regula veritatis deflectat. Quare si intellectus alicuius tali perfectione sit praeditus, undecumque tandem haec perfectio habeatur, ut regulam veri sibi propositam nequeat transgredi, erit quidem in perfectione finitus, sed infallibilis. Hinc infallibilitas cum limitatione mentis non pugnat absolute. Iam age, generalis regula veri respectu humanae mentis, sistendo in ipso naturae ordine, consistit in principiis primis et indemonstrabilibus, quae immediate cuique innotescunt per naturale lumen rationis. Quamdiu igitur mens ad praedictae regulae normam exigit cognitiones suas minime errat. Contra vero si vel tantum principium primum assumat, quod talem dignitatem non habet, vel ex principiis, quae seipsa sunt talia, illegitime discurrat. Haec modo sufficient; uberiori enim



tractationem alibi postulant. Interim lege S. Thomam (Qq. Disp. *Verit.* q. 1. a. 12.)

258. **Deceptio orta ex apprehensione sensili.** — Praeter errores, qui oriuntur ex parte cognitionis sensibilis propter indispositionem organi et medi ad actum sentiendi requisiti, tribus modis potissimum ignorantiae et erroris occasio in tali apprehensione existit.

I. Ex eo, quod aliquis ita in sensibilibus contemplatione immoretur, ut mentem plane avocet a consideratione eorum, quae solo intellectu capiuntur, cuiusmodi sunt res immateriales, et ipsa essentia rerum materialium. Apposite in hanc rem Matthaeus Liberatore. \* Fato nescio quo, inquit, haec sententia multorum animos occupat; quidquid supra sensum extollitur, quidquid experientiae oculorum vel tactus non est exploratum, quidquid ratiocinatione nititur, quidquid acutum est et meditationis indigum, quidquid in summa altum sapit, non nisi deliramentum, chimaeram, inanem sublimitatem esse. Cavendum quidem est, ne speculationis illecebra mens irretita nimis magnum studium multamque operam conferat in res obscuras et difficiles easdemque non necessarias. At curandum pariter est, ne ea omittantur, sine quibus pleraeq; disciplinae non scientiam, sed factorum indigestam historiam praeserferent. (*Iustit. Philos. Log.* 2. p. n. 28.)

II. Ex parte imaginationis. Munus enim huius facultatis est materiam suppeditare intellectui, ut rei quidditatem abstrahat, non vero ut nos moneat de existentia rerum. Ob hanc causam ipsa minime dependet ab actuali praesentia formarum, quas reproducit. Cum vero assueti sintus res corporeas ut praesentes sensibus attingere, hinc nisi debita reflexio et comparatio adhibeatur pronum erit imaginariam representationem cum intuitione propria aliorum sensuum confundere.

III. Denique gravissime quis deciperetur, si intellectualem rei perceptionem unum idemque esse putaret cum representatione sensili quae eam comitatur. Hinc orti gravissimi errores eorum omnium qui sensistarum et materialistarum placitis assentiuntur; quo fieret, ut ipsum

scientiae nomen tanquam vocem sine mente eliminare oporteret.

259. **Influentia voluntatis in deceptionem mentis.** — Ut ceteras animae vires, ita intellectum quoque, suo voluntas imperio movet ad proprium cuiusque actum applicando. Id vero dupliciter praestat quoad intellectualem cognitionem. Primo *indirecte*, quatenus intellectum movet ad considerandum obiectum vel ab eius consideratione illum avertit. Secundo *directe* quatenus in iis, quae evidenter non patent, intellectum inflectit ad unam partem contradictionis amplectendam, reiecta altera. Quapropter si aliqua boni ratio appareat in iudicio aliquo erroneo amplectendo, voluntas saepissime poterit altero, vel utroque e duobus modis praedictis mentem in tale iudicium inclinare: quod experientia quotidiana ostendit. Huiusmodi voluntatis motio est plane necessaria ut intellectus decipiatur. Ut enim recte observat Suarez: \* Ad veritatem potest intellectus necessitari, ad falsitatem autem non potest, simpliciter et absolute loquendo, et ideo quoad exercitium nunquam potest in falsum iudicium incurrere, nisi per liberam motionem voluntatis. Nam, seclusa necessitate, non potest determinari intellectus ad iudicium, nisi per voluntatem, cum ipse liber non sit. Ratio autem illius differentiae est, quia intellectus non determinatur ex necessitate ad iudicium, nisi media evidentia rei cognitae, ut experientia ipsa docet et ratio, quia absque evidentia obiectum non perfecte applicatur potentiae, ut eam ad se ex necessitate trahat ac determinet; evidentia autem non potest falsum iudicium parere, quia fundatur in re ipsa cognita prout est in se, vel necessario resolvi debet in aliqua principia per se nota et manifesta. \* (*Metaph.* D. 9. sect. 2. n. 6.) Quod si ulterius quaeratur, quaenam ratio boni elucere possit in hoc, quod mens in falsum iudicium declinet, vel illud mordicus quis retineat, dico, eam posse esse multiplicem et variam; saepissime vero haberi vel ex amore quo quis inordinate seipsum diligit, ac iudicio suo nimis confidit nec facile ab eo divelli patitur; vel ex inordinato studio partium; vel



quia veritas cognoscenda grave aliquod onus imponit; vel ex passionum tumultu, ut mox dicemus.

260. **Quo pacto affectiones appetitus sensitivi causa existant ignorantiae et erroris.** — Proprius influxus appetitus sensitivi in deceptionem vel ignorantiam mentis habetur duplici ratione potissimum.

I. Propterea quia motus appetitus sensitivi, sive passionem, attentionem debitam, ut veritas cognoscatur, saepe minuunt, ut patet in eo qui nimio dolore aut tristitia afficitur. Praesertim vero id locum habet in iis, qui coeno voluptatum corporalium totos se ingurgitant. \* Ex luxuria, ait Angelicus, oritur coecitas mentis, quae quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludit; ex gula autem hebetudo sensus, quae reddit hominem debilem circa huiusmodi intelligibilia. Et e converso oppositae virtutes, scilicet abstinence et castitas, maxime disponunt hominem ad perfectionem intellectualis operationis. (Summa th. 2. 2<sup>ae</sup> q. 15. a. 3.)

II. Quia huiusmodi passiones accidunt cum transmutatione corporali, ac propterea qui illis vehementer afficiuntur habent quodammodo iudicium ligatum, ne ex norma rationis sententiam pronuntient. Ex hoc principio S. Thomas probat (Summa th. 2. 2<sup>ae</sup> q. 88. a. 3.), iram prae ceteris passionibus manifestis impedire iudicium rationis.

261. **Causae externae erroris.** — Ultima denique et latissime patens ignorantiae atque errorum causa habetur ex magisterio aliorum, qui vel non recte vel non recta docent. Horribile dictu est, quot et quam perniciosi errores hac nostra aetate in incautorum, praesertim iuvenum, mentibus hoc pacto inscrantur; ut iure merito petere possimus quod de sua aetate scribebat Tullius: \* Simul atque editi in lucem, et suscepti sumus, in omni continuo pravitate, et in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutriceis errorem susxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, id est, magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmatae natura ipsa cedat.

Accedunt etiam poëtae, qui cum magnam speciem doctrinae sapientiaeque praesetulerint, audiuntur, leguntur, ediscuntur, et inhaerescunt penitus in mentibus. Cum vero accedit eodem quasi maximus quidam magister populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate. (3. Tuseul.)

## DISPUTATIO II.

### DE CAUSA CERTITUDINIS

#### SECTIO I.

##### Brevis descriptio facultatum cognoscendi.

262. **Ordo et ratio dicendorum.** — In praecedenti disputatione expendimus naturam diversorum statuum mentis respectu veritatis assequendae, certitudinis praesertim, in quo solo mens veritatem perfecte assequitur et conquiescit. Reliquum est, pro more cuiusque considerationis scientificae, ut causas investigemus unde praedictus certitudinis status enascitur. Causa porro certitudinis alia remota est, alia vero proxima. Remota ex parte obiecti est ipsa enuntiabilis necessitas [224], ex parte vero cognoscentis est ipsa natura intelligentis, cui proprium est veritatem percipere et de ea iudicare. De utraque haec causa in praesenti specialem tractatum non instituimus; res enim metaphysica est et Logicae limites transgreditur.